



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Confessionale, || In Qvo || Vniversa || Materia De ||  
Confessione Pec-||catorvm Apvd Catholicos || vsitata per  
Quæstiones explicatur**

**Eisengrein, Martin**

**Ingolstadii, 1577**

**VD16 E 795**

XXV. Quare licentia confitentis sufficiat ad reuelationem Confessionis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-30362**

Nam per hoc tollitur scandalum, & odium Confessionis. Ideoque quando Sacerdos ex permissione confitentis prodit Confessionem, opus est, ad vitandum scandalum, dicere, & ostendere, se Confessionem illam reuelare ex consensu expresso confitentis.

SECUNDO, requiritur, vt detur potestas manifestandi propter aliquod notabile bonum procurandum, vel malum euitandum, quod præponderet famæ confitentis; aliò qui nec permittendum est Sacerdoti, nec ei facta potestate integrum est vti.

TERTIO, non sufficit consensus præsumptus, nisi sit expressus, & actu concessus; aliò qui reuelans Confessionem ex sola licentia præsumpta, non minùs facit Confessionem odiosam, quàm si absq; vlla licentia eam reuelaret.

*Quare licentia confitentis sufficit ad reuelationem Confessionis?*

*Questio XXV.*

*Responsio*

Licentia confitentis sufficit, vt Sacerdos queat reuelare Confessionem, non obstante præcepto naturali & Diuino, de seruando huiusmodi secretum; quia data licentia prædicta, iam definit esse materia secreti. Nam, vt creditor, quando prorogat debitori terminum solutionis, vltra terminum per iuramentum præfixum, solutio in termino desinit esse materia iuramenti; ita etiam permissio

*Caput VII. De Secreto seu Sigillo*

missio reuelandi Secretū, facit, vt desinat esse materia Secreti.

*Questio*  
*XXVI.*

*Potēstne Sacerdos peccatum, quod quidem ex Confessione, sed tamen etiam alia via ante vel post Confessionē scit, ob causas certas, & sine licentia confitentis reuelare?*

*Respōsio.*

**Q**uando necessitas aut utilitas postulauerit, poterit Confessarius manifestare peccatum in Confessione cognitum, vni cū persona, si alia via illud cognouerit. Probatur, quia Confessor, extra Confessionem sciens crimen alicuius, si producat in testem, aut à Iudice inquiratur, est obligatus ob publicam iustitiam dicere quod sciuerit. Igitur, si illud ipsum quoque sciat per Confessionem Sacramentalem, siue subsequentem, siue præcedentem facti cognitionem, non minùs tenebitur à Iudice inquisitus, aut in testem productus illud manifestare; alioquin Confessio esset vinculum iniquitatis, & impediendæ publicæ iustitiæ causa.

**SECUNDO**, quia fraus & dolus nemini debet patrocinari; patrocinaretur autem, si prior sententia esset vera. Patet, quia, si latro coram Sacerdote calicem, aut rem aliam furetur, sciens, quòd, si illi Sacerdoti confiteatur, non poterit super illo testificari, seu denun-